

de Pulka super primam Epistolam ad Corinthios pertractata. Placet hic olim in scholis Vindob. servatus institutionis mos, ut explanato primum sacri Libri sensu Quaestiones, quae ex eo nasci possunt, five dogmaticae, five morales, five liturgicae, five canonicae deinceps moveantur et explicentur. Dubia nostra incipiunt fol. 3. *Quia in singulis epistolarum salutacionibus apostolus optat gratiam et pacem, ideo de his pertinenter tractandum est et pro nunc de pace &c.* Fol. enim 1. et 2. habentur quaedam Extrema Dubiorum in Epistolam ad Rom. Pars haec prior sistit in Dubio 1. circa Caput 12. ad 4° notandum.

CCXI.

U. 185 Codex iterum praecedenti geminus, Folior. 313. inscribitur *Secunda pars dubiorum &c.* et incipit a 4° illo *Notando*, pervaditque totam Epistolam. Dubium ultimum est de Conditione Beatorum, cui haec subjuncta est clausula miniata: *Hec fuit ultima lectio venerabilis olim Magistri petri cui retribuatur altissimus resurgere in sorte beatorum omnium.* Rubricas ab alio adscriptas fuisse mihi persuadeo; Textum enim ipsum spissorum horum Voluminum a propria Autoris manu profectum esse docent liturae, emendationes et subpletiones passim obviae.

CCXII.

U. 157 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 298. f. currente calamo

per duas columnas exaratus, et, ut praefertur, *librarie collegij beate virginis ad rubeam rosam* additus a *Testamentarijs artium et sacrarum litterarum professoris Magistri Cristanni de Hurben*, five *Horb Sueviae*, Canonici et Decani *D. Stephani*, Academiaeque a. 1443. Rectoris, qui a. 1467. e vivis excessit, continet: I. *Leituram* scholasticam in I. D. *Pauli ad Corinthios* praemisso solito Argumento: *Corinthij sunt achaici &c.* quae incipit: *Paulus vocatus apostolus — Hec epistola quam apostolus scribit corinthijs primam, diuiditur in quatuor partes principales, in prima ponit salutacionem &c.* Et finit: *homicidium tamen primum locum tenet in penis inter peccata in proximum commissa. et tantum breuiter dictum sit ad istud dubium et de tota presenti epistola. Gloria Deo et omnibus sanctis. Amen. Anno Domini MCCCC° 32° circa festum d. colo. quod aut Colomanni aut Decollationis esse possit.*

II. fol. 131. succedit similis *Leitura in Salomonis Parabolas*, praeuia *Hieronymi* nota Epistola: *Jungat epistola quos iungit sacerdocium &c.* Initium est: *Parabole salomonis filij dauid — Antequam ad diuisionem libri procedamus, est sciendum, quod aliqui dicunt, quod iste liber ordinate conscriptus fuit a salomone usque ad XXIV. capitulum &c.* Definit: *quod manifestum est cuilibet inspicere volenti. An Cristannus, ut tunc scribere amabant Christianum, possessor tan-*